



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Pastorum Sive Instructio Practica Neoparochorum

Dirckinck, Johann

Treviris, 1702

Caput. 21. De visitatione amicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51873)

gitet Parochus, siue fructus expectatus respondeat, siue non, nihil sibi decedere de merito ac premio æterno, solum perseveret, & fidat in Deum, fructusque paulatim sequetur.

Conversatio autem Pastoris est multiplex. 1. Visitatio amicorum. 2. Instructio Fidelium. 3. Consolatio afflictorum. 4. Curatio spiritualis. 5. Consolatio Captivorum. 6. Ægrorum & moribundorum dispositio ad felicem mortem & æternitatem. De quibus fusè P. Lohner; agens de conversatione apostolica, cum verò Pastores centeni ejus Libris utilissimis careant; nos hîc brevitet nucleum in compendio dabimus, nonnullis adjectis.

CAPUT XXI.

De visitatione Amicorum Pastoralis.

Visitatio hæc à Parocho instituitur amicitia & benevolentia procuranda vel conservanda gratiâ quia sine benevolentia, non bene pro-

procurare poterit alienam salutem
& nemo facile ei se credit, cuius benevolentiam non experitur: deinde demonstratur gratitudo pro acceptis beneficiis; denique varia pro se aliisque beneficia impetrandi occasio datur.

Si visitet Ecclesiasticos aut Religiosos, triplex reportabitur fructus, eruditio, excitatio illorum exemplo & verbo, testificatio bonæ vitæ, quod degat cum bonis. Si visitet Principes & Magnates, observet proverbium: *Ad principes & ignem, nec prope, nec procul: nec visitet, nisi aut vocetur, aut necessitas urgeat.* Si visitet mediocris conditionis homines, potius viros accedat, quàm feminas, quia illis familiæ disciplina dependet, & opera est utilior. Si feminas visitet, solus non adeat, sed cum teste; aut certe adsit maritus. Sit autem visitatio, rarissima, brevissima, opportunitissima.

Visitatio hæc ut fructuosa sit, quæ

tuor dotes habeat. 1. Sit *sancta*, ut tota collocutio & sermo dirigatur ad salutem animarum. 2. Sit *prudens*, ut initia aliis concedat, finem sibi reseruet, sermonem aliis attemperet; nihilque, quod offendat, proferat. 3. Sit *amabilis & grata*, de iis scilicet, de quibus visitatus libenter audit & loquitur, ejusque æstimatio magna præferatur, omniâque in meliorem partem explicentur. 4. Sit *innocua* sine detractione, murmuratione, alióve peccato. 5. Sit *gravis & seria*.

Ut verò talis sit visitatio, juvabit memoria Dei præsentis & Angeli Tutelaris. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Psal. 15. Nihilque dicat, de quo rationem & satisfactionem, si posceretur, reddere nequeat, aut quod proximum scandalizet; aut quod publicatum, vulgatumque nollet.

Denique animæ suæ pericula devitet: 1. Est, ne paulatim intentio vi-

X

tietur

tietur & loco sinceræ charitatis, amor carnalis in conversatione familiari subintret. 2. Ne in gula vitium, aut consolatiunculæ ab esculentis & poculentis petitiæ desiderium declinetur. 3. Ne in lingua labatur: *quia in multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10.

CAPUT XXII.

De Instructione Pastoralis.

Instructio hæc eò tendit, ut in fidei Christianæ Doctrina homines solidè instituatur: varii sunt, qui instruendi veniunt.

I. Hæretici, quorum si aliquem vacillantem repererit in fide: 1. sinceram charitatem ostendat, & ejus benevolentiam sibi conciliet, ab omni convitio abstinens & verbis suavibus utens. 2. Conetur à vitiis avocare, quæ conversionem impediunt. 3. Primum, quem habet scopulum & scrupulum eximere conetur, cætera sequentur. 4. Motiva credibilitatis proponat, nunc hoc, nunc illud. s. Erroris